

De iudez Boetij de syllogismo categorico liber primus



Uta greci veteres posteris suis inconsultissimis reliquere tractatibus in quibusdam priusquam ad res densa caligantes obscuritate venirent: quasi quadam intelligentie luctatione preludent. hinc per introductionem est facilius discipulorum doctrina: hinc per ea que illi. *πρὸς τὸ πρῶτον* vocant nos predicta vel predicenda

possimus dicere: ad intelligentiam promptior via munitur. hanc igitur providentiam non exorsus statui ego quoque in res obscurissimas aliquem quodammodo pontem ponere mediocriter quidam delibans: ita ut si quid brevius dictum sit: id nos dilatare ad intelligentiam porrigimus. si quid suo more aristoteles non minus verborumque mutatione turbavit: nos intelligentie servientes ad consuetum vocabulum reducimus: siquid vero ut ad doctos scribens summa tantum tangens designatione monstravit nos id introductionis modo aliqua in eas res tractatione disposita perquiramus. sed si qui ad hoc opus legendum accesserint ab his petendum sit: ne in his que nunquam attigerint: statim audeant iudicare: neque si quid in puerilibus disciplinis: acceperint: id sacrosanctum iudicent. quando quidem res teneris auribus accommodatas sepe philosophie senior tractatus eliminat. si quid vero in his non videbitur ne statim obstrepant: sed ratione consultata quid ipsi opinentur: quidue nos ponimus: veriore mentis acumine et subtiliore pertractata ratione diiudicent. Et hi quidem si nos (ut arbitror) non sufficimus: eos commentarios de quibus hec protulimus: degustent blando fortasse sapore subtilitatis elicit: quamvis infreni et indomiti certatores sint: veterum virosum inexpugnabilibus auctoritatibus acceperunt: si quis vero grece orationis expertus est in his: ut si qua horum sunt similia: desuadebit. Itaque hec huius probemij lex erit: ut forum nostrum nemo non intelleturus: et ob hoc culpaturus inspiciat. sed ne probemij tempus nihil afferentibus teratur: inchoandum nobis est illo prius depulso periculo: ne a quoque stilo culpetur oratio. Non enim eloquentie compositiones sed planiciem consecramur. Quod si hoc efficimus quod libet incomposite loquentes intentio quoque nostra nobis perfecta est. Sed quoniam syllogismorum prima est propositio: de propositionibus hoc libello tractandum habebitur. Et quoniam propositionis partes sunt nomen et verbum: pars autem ab eo cuius pars est: de nomine et verbo: que prima sunt: disputatio prima ponatur. Nomen est vox designativa ad placitum sine tempore cuius nulla pars extra designativa est: vox autem dictum est quia vox nominum genus est. Omnis autem diffinitio a genere trahitur: ut si diffinitio hominem: animal dicitur. id est genus. Post vero rationale id est differentia. designativa vero est dicta: quia sunt voces quedam: que nihil significant ut sunt syllabe. Nomen vero designat id cuius nomen est. Ad placitum vero quia nullum nomen aliquid per se significat: sed ad ponentis placitum. Illud enim vnaqueque res dicitur: quod ei placuit: qui primus nomen illud


impressit. Sunt enim voces naturaliter significantes ut canum latratus iras canum significat. sed non sunt nomina: quia non sunt ad placitum significantes: sed natura. sine tempore vero: quod verba quidem voces sunt et designative et secundum placitum: sed distant quod nomina quidem sine tempore sunt: verba cum tempore. Cuius vero nulla pars extra designativa est quod oratio et ipsa vox est: et designativa: et secundum placitum: et aliquotiens sine tempore est: sed orationis partes significant: nominis vero partes nihil significant. In ciceronis enim nomine nulla extra pars designativa est: neque ei neque ce neque ro. Neque si ex duobus integris nomina sint. Quod enim in uno consignificat: id extra non significat. In nomine enim magister magis et ter consignificat: quia est magister. sublatus ter et magis non erit alicuius significatio: nisi tibi hoc alij nomen dare placuerit. Omnia enim nomina non naturaliter sunt. sed ad placitum ponuntur. Sed de hoc in commentario libri. *περὶ ἑρμηνείας* Aristotelis dictum est: et maior eius rei tractatus est: quare ut nunc queat expediri. Revertamur igitur ad nomen. sed quoniam sunt quedam voces: que et designative sunt: et in placitum et sine tempore: quarum dubia sit natura. id est non homo: hoc enim significat equidem quiddam et secundum placitum: appositum est enim sed dubium est: cui subdi possit: nomini enim non potest. Omne enim nomen significat aliquid definitum. Non homo autem quod definitum est perimit. oratio vero dici non potest. Omnis enim oratio ex nominibus et verbis constat. Non homo autem neque ex nominibus constat neque ex verbis. sed multo magis esse non potest verbum. Omne enim verbum cum tempore est. non homo sine tempore est. quid sit ergo ita videndum est. Et quoniam non homo vox significat equidem quiddam: quid autem significet in homine ipso non continetur. Potest enim non homo et equus esse et lapis. et domus: et quicquid homo non fuerit: quoniam ea que significare potest infinita sunt: infinitum nomen vocatur. Et quoniam sunt quedam voces et designative et ad placitum et definite et quarum partes extra nihil significant: ut sunt casus nominum ut ciceronis vel cicerone. et hec nomina non erunt. Omne enim nomen iunctum cum est verbo aut verum aut falsum demonstrat. ut si dicas dies est: hoc vero aut verum aut falsum est. si vero casus iungas neque verum neque falsum efficit. Si enim dicas diei est nihil quid sit aut non sit demonstrasti. Itaque nihil ex hoc neque verum neque falsum efficit. Et merito dictum videtur. Quod enim primo vocabulum nomina rebus imponentes dixerint. id solum nomen vocabitur merito. Qui enim primus circo circum nomen imposuit ita dixisse videtur. dicatur hoc circo. Atque ideo primus hic casus nominativus vocatur: quod nomen sit. Alijs vero nominibus non nominis ceteros casus appellaverit. Ergo a capite revolvendum est vocem dictam quod vox nominum genus sit designativam vero: ut ab his vocibus separetur: que nihil significant ad placitum vero: ut ab his separetur: que naturaliter significant: ut sunt pecudum. Cuius vero nulla pars extra significat: ut divideretur: ab oratione: cuius partes nomina sunt et verba: que significant: sine tempore vero dictum est ad divisionem verbi: quod cum tempore est. finitum vero ut ab infinitis separet. Recta vero. ut a casibus desiguere. Et in verbo eadem fere omnia conveniunt. Est enim verbum vox significativa ad

# Liber

placitum cum tempore cuius pars nulla extra significatiua est. et quia quedam vox significatiua ad placitum cum tempore cuius pars nihil significat vt non albet. Non albet enim quod cum non iunctum significat: solum non significat: et quidem nihil definitum monstrat. Quod enim non albet: potest et rubere: potest et nigrescere: potest et pallere et quicquid si non albet: ideo infinitum verbum vocatum est. faciebat autem et facturus: vt superius in nomine non verba: sed casus verborum sunt. Repetendum est igitur ab initio verbum esse vocem dictum a genere significatiua vero: vt ab non significatiuis vocibus diuiseretur. Ad placitum vero vt ab illis que natura sunt significatiue vocibus separaretur. Cum tempore vero vt a nomine diuiseretur. Presens vero aliquid significare: vt a verbi casibus disungeretur. finita vero. vt ab infinitis determinaretur. Restat ergo quid sit oratio dicere. Nec enim ex nomine et verbo componi videtur: sed prius vtrum nomen et verbum sole partes orationis sint consideremus. alie sex vt grammaticorum opinio fert: an aliquis ex his in verbi et nominis iura vertantur: quod nisi prius constitutum sit tota propositio: ac deinceps ea ipsa que ex propositionibus componitur sillogismorum ratio turbabitur. Nam si ex quo sint genere termini nesciatur totum ignorabitur. Nomen et verbum due sunt partes putande: cetera enim non partes sed orationis supplementa sunt: non etiam partes vt enim quadrigarum frenata vel laza non partes sed quedam quodammodo ligature sunt: et vt dictum est supplementa non etiam partes sic coniunctiones et prepositiones et alia huiusmodi non partes orationis sunt: sed quedam colligamenta. Participium vero quod vocatur verbi loco ponatur quoniam temporis demonstratiuum est. Aduerbium vero nomen est. cuiusdam enim definite significationis est sine tempore: quod si per casus non flectitur nihil impedit. Non enim est propter nomen flecti per casus. sunt enim quedam nomina que flecti non possunt que a grammaticis monitora tota nominantur. sed hoc grammatice magis quam huius considerationis est. Oratio est vox designatiua ad placitum cuius partes aliquid extra significat vt dictio non vt affirmatio. Et orationi est commune cum nomine et verbo: quod vox est et designatiua: et ad placitum. Cuius enim partes ad placitum sunt ea que ipsa ad placitum est. Orationis autem partes sunt nomen et verbum. Sed hec ad placitum. oratio igitur ad placitum est. Termini vero orationis a dialecticis nomina et verba. Termini vero dicti sunt quod vsque ad verbum et nomen resolutio partium orationis fiat neque orationem vsque ad syllabas nominum vel verborum temptet resolvere: que iam designatiue non sunt. Distat autem a nomine vel verbo oratio quod illius partes extra significat: verbi et nominis partes extra non designant. Est autem dictio vnus simplex vocabuli nuncupatio: vel simplex affirmatio. Atque ideo dictum est orationis partes significare: vt dictionem. id est vt simplicem vocabuli nuncupationem. In oratione enim socrates ambulat: vtraque extra significat tantum quantum simplex vocabuli nuncupatio designare queat. Quomodo autem vt affirmatio simplex non significari in commentario periermenias explicui. Quid autem sit affirmatio et negatio paulopost explicabimus: sunt vero species orationis in angustissima diuisione. v. interrogatiua: ut putasne anima immortalis

est. Imperatiua ut accipe codicem. Optatiua vel deprecatiua et faciat deus. Vocatiua ut ades deus. Enunciatiua vero ut socrates ambulat. sed neque in illis quattuor veritas est: neque falsitas. Enunciatiua vero sola: aut verum aut falsum continet. Atque hinc propositiones oriuntur. Enunciatio autem in duas partes secabitur: in affirmationem et negationem. Affirmatio est enunciatio alicuius ad aliquid. Negatio est enunciatio alicuius ab aliquo. Et est affirmatio: ut puta plato philosophus est. Negatio plato philosophus non est. Affirmatio enim ad platonem philosophiam enunciat aliquam. id est platonem esse philosophum. Negatio vero ab aliquo platone aliquam philosophiam enunciando tollit. id est enunciat platonem non esse philosophum. Enunciatiuarum igitur orationum: alie sunt simplices alie non simplices. Simples sunt ut si dicas dies est. non simplices vt si dies est lux est. Affirmationes vero et negationes: alie sunt uniuersales: alie sunt particulares: alie indefinite. uniuersales sunt que aut omne affirmant: ut omnis homo animal est: aut omne negant: ut nullus homo animal est. particulares vero que aliquem affirmant et aliquem negant: ut aliquis homo animal est. aliquis homo animal non est. indefinite vero que neque uniuersaliter affirmant: aut negant: neque particulariter: ut homo animal est: homo animal non est. Diuiditur autem simplex propositio in duas partes in subiectum et predicatum: ut homo animal est: homo subiectum animal predicatum de homine: hec autem partes termini nominantur. Quos diffinimus sic: termini sunt partes simplicis propositionis in quibus diuiditur principaliter propositio. Est enim simplicis propositionis uniuersalis: secunda diuisio ut in propositione omnis homo animal est. omnis homo vnus terminus. alius vero sit animal est. Sed hoc secundo loco illud uero principaliter. nam primi termini sunt subiectum et predicatum. Est enim et non est non magis termini quam affirmationis uel negationis designatiua sunt: et omnis uel nullus uel aliquis non magis sunt termini quam diffinitionum utrum particulariter an uniuersaliter dictum sit designatiua sunt. diuiditur ergo ut dictum est propositio in id quod subiectum est: et in id quod predicatum. Dico autem subiectum ut in omnis homo animal est. et semper quod predicatur: aut abundat: aut superest subiecto aut equatur. Minus autem predicatum a subiecto reperitur. Sed id quod diuersis demonstramus exemplis subiecto predicatum habundat quotiens genitum aliquid de alio quod predicatur: ut si dicas omnis homo animal est. homo non potest conuerti. omne animal homo est quod animal ab homine plus est et abundat. Equatur autem predicatum subiecto quotiens proprium quoddam cuiusdam predicatur: ut omnis homo risibile est: potest conuerti omne risibile homo est. ut autem minus sit id quod predicatur: fieri nequit. Dicitur et predicatum: sequi quod subiectum est idoncius est enim predicatio constituere propositionem: que id quod subiectum est. Simplicium autem propositionum alie sunt in nullo sibi participantes ut sunt: omnis homo animal est. Et uirtus bona est: et alie huiusmodi propositiones. alie vero que participant. Participantiu alie sunt: que in utroque termino participant: alie que in altero. et altero termino participant tribus modis vtroque uero duobus. ostendam exemplis: quomodo altero tribus modis participant communis. n. terminus est: cum in una subiectus sit: in alia predicatum: ut est omnis homo animal est. et omne animal animatum: in priora enim propositione animal predicatur ad hominem: in posteriore predicatur ad animal

animatum & sit alias subiectus. Et est hic primus modus de eis que altero participant. Secundus vero modus in quo in vtrisque communis terminus predicatur: ut si quis dicat. omnis nix candida: & omnis margarita candida. Et enim in prima & secunda propositione candida predicatur: in prima ad nivem in secunda ad margaritam. Et hic secundus modus altero termino participantium. Tertius modus est: quotiens in vtrisque propositionibus communis terminus subiectus est: ut si dicas. Virtus bonum est. virtus. iustitia est: in vtrisque enim ad iustitiam & ad bonum virtus subiecta est: sunt igitur participantibus ad alterum terminum bis tribus modis. aut cum in vna communis terminus predicatur: in illa subiectus est: aut in vtrisque predicatur: aut cum in vtrisque subiectus est. Earum vero que ad vtrisque participant terminos duo sunt modi. Alie enim ad eundem ordinem: alie ad ordinis commutationem. Ad eundem sunt: que de eodem idem demonstrant vel affirmatiue vel negatiue: vel vniuersaliter: vel particulariter. omnis voluptas bonum est. Nulla voluptas bonum est: & rursus particulariter: quidam voluptas bonum est. quedam voluptas bonum non est. Ad ordinis vero commutationem: quotiens qui in altera subiectus est terminus in alia predicatur: ut omne bonum iustum est: & omne iustum bonum. Nam in priore bonum subiectum est: iustum predicatum: in secunda iustum subiectum est: bonum predicatum. Nunc ergo quoniam alie ad eundem ordinem alie ad ordinis commutationem sunt: prius dicemus de his: que ad eundem ordinem vtroque termino participant. & quoniam sunt propositiones alie affirmatiue alie negatiue: alie vniuersales alie particulares: alie indefinite: due sunt ex his: que qualitate differunt tres que quantitate differunt. Et sunt que qualitate differunt: affirmatiua & negatiua: ad quantitatem quoque vero differunt: sunt vniuersales: particulares: indefinite: in affirmatiuis enim & negatiuis quale quid sit aut non sit ostenditur. In vniuersali particulari indefinita de omnium vel nullozum vel non nullozū quantitate monstratur. Et his ergo quinq; differentiis. id est vniuersali particulari indefinita: affirmatiua: negatiua: sex coniunctiones sunt: ita ut tribus que ad quantitatem dicuntur: due que ad qualitatem dicuntur aptentur: & sit vniuersalis affirmatiua: & vniuersalis negatiua: ut omnis homo iustus est: nullus homo animal est: & particularis affirmatiua: & particularis negatiua: quidam homo iustus est: quidam homo iustus non est: & indefinita affirmatiua: & negatiua: ut homo iustus est: homo iustus non est sunt ergo duabus que sunt ad qualitatem: tribus que sunt ad quantitatem iunctis sex coniunctiones. de quibus indefinitas affirmatiuas: & negatiuas separemus: & de solis vniuersalibus: & particularibus tractatus habeatur subscribantur etiam earum participantium que ad eundem ordinem vtroque termino participant due vniuersales propositiones: vna affirmatiua: & altera negatiua: & sit affirmatiua vniuersalis omnis homo iustus est: & contra ipsam vniuersalis negatiua nullus homo iustus est. Item sub his ponantur particularis affirmatiua: & particularis negatiua ita ut sub vniuersali affirmatiua ponatur particularis affirmatiua: & sub vniuersali negatiua ponatur particularis negatiua: & sit particularis affirmatiua quidam homo iustus est: & contra ipsam particularis negatiua quidam homo iustus non est: quod monstrat subiecta descriptio.



In superiori igitur descriptione vniuersalis affirmatiua & vniuersalis negatiua cōtrarie sunt. subcōtrarie vero particularis affirmatiua & particularis negatiua. subalterne vero dicuntur vniuersalis affirmatiua & particularis affirmatiua: & iteque vniuersalis negatiua & particularis negatiua: & particularis negatiua contraiacetes sunt angulares. id est vniuersalis affirmatiua & particularis negatiua. & iteque vniuersalis negatiua & particularis affirmatiua: ut sunt ois bō iustus est. Quidam homo iustus non est. Nullus bō iustus est. Quidam homo iustus est. & sunt que hoc modo diffiniri possunt. Cōtrarie sunt que vniuersaliter eide idem affirmat hec negat. subcōtrarie sunt que particulariter eide idem affirmat: hec negat. subalterne sunt que eide idem affirmant: vel negant hec particulariter illa vniuersaliter: cōtraiacetes sunt quando eide eandem idem hec affirmat hec negat: vel hec negat. hec affirmat illa generaliter: illa particulariter & vocantur cōtrarie quod affirmatio vniuersaliter ponit: negatio vniuersaliter tollit. Subalterne vero: quoniam quod illa vniuersaliter ponit & hec particulariter ponit. subcōtrarie vero dicuntur: vel quod naturaliter subipsis contrariis posite sunt: ut descriptio docet: vel a contrariis diuerse sunt: & ipsis contrariis quodammodo cōtrarie. Nam cōtrarie ut vtroque sit fieri non potest: ut vtroque oino non sint fieri potest. cōtrariarum vim obtinebunt subcōtrarie. Nam ut vtroque oino non sint fieri non potest. ut vtroque sit fieri potest. Quod in sequentibus melius explicabitur cōtraiacetes non dicitur. quoniam vniuersalis affirmatio vel negatio particularem affirmationem vel negationem angulariter respiciunt. Cum autem singule propositiones habeant duas differentias: vnam ad qualitatem: alteram ad quantitatem: ut quod vniuersalis affirmatiua est habeat differentiam ad quantitatem quod vniuersalis est & aliam ad qualitatem quod affirmatiua est. Eodem modo ceterae propositiones. habeant binas differentias vnam secundum qualitatem: alteram secundum quantitatem. Subalterne que sunt: vna tantum differentia distat quantitate: quod hec particularis: illa vniuersalis est. Nam qualitatis differentiam nullam retinet. vtroque enim affirmatiue sunt. ille vero alie. id est cōtrarie & subcōtrarie ad qualitatem: quod illa affirmatiua: illa negatiua est. nam ad quantitatem nihil differunt. vtroque enim. cōtrarie vniuersales. vtroque subcōtrarie particulares sunt. ille autem que cōtraiacetes dicuntur. vtrisque differentias differunt. Nam & illa vniuersalis affirmatio est hec particularis negatio: & illa vniuersalis negatio est hec particularis affirmatio. nunc quoniam que secundum qualitatem: vel secundum quantitatem: vel quod dictum est differunt earum proprietates: quod hec vniuersales sunt: si fuerit vera affirmatio vniuersalis vera erit particularis affirmatio. Si enim omnis homo iustus est: vera erit & quod dicit aliquis homo iustus est. Nam si omnis homo iustus est: & quidam. Et eodem modo negatiue

subalterne. nā si vniuersalis negatiua vā fuerit erit etiam vera negatiua particularis vt si nullus homo iustus est: vera fuerit erit etiam vera quidam homo iustus non est. nam si nullus homo iustus est: nec quidam: Conuertere autem non potest. nam si particularis vera fuerit: non necesse erit veram esse etiam vniuersalem. vt si quidam homo iustus est: vera sit non necesse erit veram esse: omnis homo iustus est possunt enim esse non omnes. Et eodem modo de negatiua. Nam si particularis negatiua vera fuerit: vt est quidam homo non est iustus non necesse erit vniuersalem nullus homo iustus est veram esse. Potest enim fieri vt quidam sint iusti. Ergo dicimus in subalternis propositionibus si vniuersales vere sint: veras esse necesse est particulares. sed non conuertitur. Nam si particulares vere sint: non necesse est esse veras etiam vniuersales. Particulares vero ad vniuersales contrariam conuersionem habent. nam (vt superius) si vniuersales vere essent: vere essent etiam particulares: et si particulares vere essent non omnino vere essent etiam vniuersales. in particularibus si particulares false sint: false erunt etiam vniuersales. nam si particularis quidam homo iustus est: falsa fuerit: vniuersalis etiam omnis homo iustus est: erit falsa. nam si quidam homo iustus est: falsa est: vera est nullus homo iustus est. si vera est nullus homo iustus est falsa est omnis homo iustus est. falsa igitur particulari falsa erit vniuersalis. Item si negatiua particularis falsa sit que est quidam homo iustus non est: falsa erit et nullus homo iustus est. nam si falsum est quidam homo iustus non est: vera est quia omnis homo iustus est: si vera est hec falsa est. nullus homo iustus est. falsa igitur particulari falsa erit et vniuersalis. Sed non conuertitur: vt si vniuersales false sint: falsas esse necesse sit particulares. nam si vniuersalis. omnis homo iustus est falsa fuerit: non necesse est particularem quidam homo iustus est: falsam esse. Potest enim fieri vt si omnis homo iustus non fuerit: sit quidam iustus. et iterum si vniuersalis negatiua nullus homo iustus est: falsa fuerit: non necesse erit quidam homo non est iustus: falsam esse. nam si falsa est nullus homo iustus est: verum est esse aliquos iustos: vera est etiam que dicit: quidam homo iustus non est: quod sunt quidam etiam non iusti. Repetens igitur a capite dicat quod in subalternis si vniuersales vere fuerint vere erunt etiam particulares. Sed non conuertitur. item si particulares false fuerint: false erunt etiam vniuersales sed non conuertitur. contrarie simul esse vere nunquam possunt. Potest autem fieri: vt alias vtresque false sint: alias vna vera: et alia falsa. vtresque false sunt: vt si quis dicat. omnis homo grammaticus est falsa est. nam non omnis homo. nullus homo grammaticus est falsa est. nam non nullus. est autem vna vera alia falsa: vt si quis sic dicat. omnis homo bipes est: hec affirmatiua vera est: nullus homo bipes est. hec negatiua falsa est. Et iterum omnis homo quadrupes est hec affirmatiua falsa est. Nullus homo quadrupes est hec negatiua vera est. Sunt ergo contrarie aliquotiens vtresque false. aliquotiens inter se verum: falsumque diuidentes: vt vtresque autem vere sint fieri nunquam potest. subcontrarie vero contraria patiuntur. Nam false nunquam reperiri queunt. Sed alias vere vtresque sunt: vt est quidam homo grammaticus est vera est: et quidam homo grammaticus non est et hec vera est. Potest enim alius esse grammaticus et alius non esse. Alias vna vera est. al-

tera falsa. vera est enim affirmatio: quidam homo bipes est. falsa est autem negatio quidam homo bipes non est. item falsa est affirmatio quidam homo quadrupes est. vera negatio quidam homo quadrupes non est vt vero vtresque false sint. fieri nunquam potest. Restat igitur vt de contrariis dicamus que neque false simul aliquando esse possunt neque vere: sed semper vna falsa vera est altera. quod facilius liquet si quis sibi quecumque fingat exempla. Res admonet: vt quidam de indefinitis propositionibus consideremus. indefinite etenim propositiones equam vim retinent particularibus propositionibus. dictum est enim quod si vniuersalis vel affirmatiue: vel negatiue in subalternis propositionibus essent vere: essent quoque vere et particulares. Nunc vero dicimus: quod si vniuersales propositiones vere fuerint: vere erunt etiam indefinite. Nam si vera est. Omnis homo bipes est: vera est et quidam homo bipes est. vera erit etiam indefinita: homo bipes est. hoc etiam dictum est quod si particulares false essent: false essent etiam vniuersales. nunc vero dicendum est quod si indefinita falsa fuerit falsa erit etiam vniuersalis. Nam si falsa est que dicit. Homo quadrupes est: falsa erit et quod dicit. quidam homo quadrupes est. Atque idem hoc etiam in negatiuis conuenire videtur. Unde constat quod omnes indefinite equam vim particularibus retinent propositionibus. Rursus dictum est quod subcontrarie que particulares affirmatiue et negatiue sunt simul vere esse possunt: diuidere et verum falsumque valere: simul vero falsas esse non posse. hoc idem indefinitis propositionibus expectandum est. Nam diuidunt verum falsumque iter se: vt si quis dicat homo bipes est vna est homo bipes non est falsa est: et iterum homo quadrupes est falsa est. homo quadrupes non est vera est. vere autem inueniri possunt vt si quis dicat homo grammaticus est: si quis hoc dicat de donato: vera est. Item homo grammaticus non est si hoc dicat de latone verum est: vt simul false sint nunquam reperiemus. Sic quoque ostenditur indefinitas cum particularibus equali esse potentia. alius quod dictum est contrarietas. id est vniuersalem affirmatiuam et particularem negatiuam: et iterum vniuersalem negatiuam et particularem affirmatiuam neque veras simul esse neque falsas. Sed iter se diuidere verum falsumque. idem hoc euenit in indefinitis. Nam vniuersalis affirmatiua et indefinita negatiua: vel indefinita affirmatiua et vniuersalis negatiua neque vere simul esse possunt: neque simul false. Diuidunt inter se verum falsumque. nam si dixeris: omnis homo bipes est: vera est: et si dicas homo non est bipes falsa est. Item si dixeris homo quadrupes est falsa est: si dixeris: nullus homo quadrupes est: vera est. vnde hinc quoque colligere licet omnes indefinitas potestate: et vi equales esse particularibus. Sunt et quedam propositiones: que diuidunt quod et ipse verum et falsum: vt deus fulminat deus non fulminat. Sed iste tunc diuidunt inter se verum et falsum: cum idem tempus: idem subiectum: idem predicatum sit. quod autem dico tale est. si equiuocum subiectum fuerit: non diuidunt verum et falsum. Si quis enim dicat cato se vtice occidit: et respondeatur cato se vtice non occidit vtresque vere sunt: Nam et cato minor se peremit: cato ceterorum se vtice non occidit. Sed hoc iccirco euenit: quod latonis nomine equo dicitur. Dicitur enim maior lato ceterorum et minor vtice dicitur. ite si equo fuerit in propositione predicatio verum iter se affirmatio negatioque non diuidunt. Si quis enim sic dicat in nocte lucet. et respondeatur in nocte non lucet. fieri potest vt vtresque vere sint. Nam in nocte lucerna lucere potest: et sol lucere non

non potest. hoc autem dico euenire: quod lucere equitudo  
 et ad lucerne lumen: et ad solis dicitur. Aplus si aliud  
 et aliud in subiectis et predicatis tempus fuerit: verus  
 falsumque inter se affirmatio negatioque non diuidunt  
 nam si quis dicat socrates ambulat et respondeatur  
 socrates non ambulat possunt utreque vere esse. potest  
 fieri enim ut socrates alio tempore ambulet: alio tem  
 pore non ambulet: sed aut stet aut sedeat: aut quodlibet  
 aliud. in talibus ergo propositionibus quales sunt:  
 socrates ambulat. Socrates non ambulat: ille inter  
 se verum falsumque diuidunt que ad idem subiectum  
 ad idem predicatum ad idem tempus dicuntur. Sunt  
 etiam alie que contradictorie dicuntur que sunt huius  
 modi: quotiens affirmationem vniuersalem tollit ne  
 gatio particularis: ut est omnis homo iustus est: non  
 est omnis homo iustus: et rursus nullus homo iustus  
 est: et quidam homo iustus est. in his enim vniuersa  
 lis determinatio tollitur. sed de his alias. Et quonia  
 dictum est et de his que eodem ordine participant: di  
 camus nunc de his que ad ordinis commutationem par  
 ticipant. Earum quoque propositionum: que ad comu  
 tationem ordinis participant duplex modus est. Est  
 enim per contrapositionem conuersio: ut si dicas om  
 nis homo animal est. omne non animal non homo est.  
 simplex conuersio est ut si dicas. omnis homo risibile  
 et omne risibile homo. sed in illis terminorum tantum  
 commutatio conuersionem facit: in quibus neque predi  
 catum subiecto: neque subiectum predicato habundat  
 In hac enim propositione que dicit omnis homo risi  
 bile. homo subiectum risibile predicatum equam vis  
 habent et ideo conuerti potest: ut risibile sit subiectum  
 et homo predicatum: et dicatur omne risibile homo. in  
 quibus vnus terminus alio habundauerit: conuerti  
 propositio non potest. Nam si dicas omnis homo ani  
 mal est vera est: non tamen potest fieri: ut conuersa  
 hec propositio terminis commutatis vera sit. falsum est  
 enim dicere omne animal homo. Sed hoc cur euenit  
 quia homine animal habundat. Illa vero conuersio:  
 que per contrapositionem fit: hoc modo fit. quotiens  
 quod in affirmatiua subiectum fuerit: idem mutatur  
 et factum predicatum ad negatiuam particulam poni  
 tur ut est omnis homo animal est. hic homo subie  
 ctum est et ad hoc animal predicatur. Si vero quis per  
 contrapositionem conuertat: et faciat animal subiectum  
 hominem predicatum: et ad hominem particulam ne  
 gatiuam ponat hoc modo faciet. Omne non animal  
 non homo est: et erit ista conuersio omnis homo ani  
 mal est: omne non animal non homo est. sed de his po  
 sterius tractabimus: nunc ad simplices reuertamur.  
 Cum igitur sint quattuor propositiones. quarum due  
 vniuersales sunt idest affirmatiua et negatiua: due ve  
 ro particulares idest affirmatiua et negatiua particu  
 laris affirmatiua et vniuersalis negatiua commutatis  
 terminis sibi ipsa conuertitur. Conuertuntur autem ille  
 (ut dictum est) quotiens commutatis terminis: vel si  
 mul vere sunt: vel simul false. Nam si quis dicat quidam  
 homo animal est vera est: Conuersio vero eius: que  
 est quoddam animal homo est vera est. Item quidam  
 homo lapis est falsa est quemadmodum conuersio eius  
 quidam lapis homo est: et ista falsa est. Et igitur par  
 ticularis affirmatiua que commutatis terminis sibi  
 ipsa conuertitur. Idem vero patitur vniuersalis ne  
 gatio. Si quis enim dicat nullus homo lapis est vera  
 est potest conuerti nullus lapis homo. nam et ista ve  
 ra est. Item nullus homo rhetor est: falsa est: et eius con

uersio nullus rhetor homo est. falsa est. In quattuor igitur  
 tur his propositionibus due tantum contraiacentes  
 sibi ipse conuertuntur. idest particularis affirmatiua  
 et vniuersalis negatiua. Alie vero due sibi ipsis non con  
 uertuntur. Nam neque vniuersalis affirmatio: neque parti  
 cularis negatio sibi ipsa conuertitur. Si quis enim di  
 cat. Omnis homo animal est vera est. Si quis vero  
 conuertat. omne animal homo: falsum est. Non igitur  
 sibi ipsi conuerti potest. quoniam conuersa prioris ve  
 ritatem non recipit. Neque vero particularis negatio  
 sibi ipsi conuertitur. Nam si quis dicat quidam homo  
 grammaticus non est: vera est. si vero conuertat: qui  
 dam grammaticus homo non est falsa est. Omnis enim  
 grammaticus homo est. Repetendum est igitur a ca  
 pite: quod cum quattuor propositiones sint affirmatio vniuer  
 salis: negatio vniuersalis: affirmatio particularis: ne  
 gatio particularis: particularis affirmatio: et vniuer  
 salis negatio que contraiacentes sunt. sibi ipsis conuer  
 ti possunt. Vniuersalis vero affirmatio et particula  
 ris negatio: que ipse contraiacentes sunt nunquam pos  
 sunt. Nec hoc nos turbet quod quedam affirmationes  
 vniuersales: et quedam particulares negationes con  
 uerti possunt. Potest enim dici omnis homo risibilis  
 est: omne risibile homo est. et utreque vere sunt. Et ite  
 rum omnis homo binnibilis est. falsa est. et omne bin  
 nibile homo. hec quoque falsa est. Item in particulari  
 negatione. quidam homo non est lapis: vera est: et qui  
 dam lapis non est homo: vera est. Item quidam ho  
 mo non est risibile falsa est: quidam risibile homo non  
 est rursus hec quoque falsa est. ergo videntur posse vni  
 uersales affirmationes: et particulares negationes con  
 uerti et conuertuntur quidem: sed non vniuersaliter.  
 Generaliter autem dico propositiones posse conuer  
 ti. quotiens vniuersaliter in omnibus conuertuntur.  
 Ite autem in duabus solis materiis conuerti pos  
 sunt. Si quis enim proprius cuiuslibet speciei ad ipsam  
 speciem cuius est proprium velut ad subiectum predi  
 cet. potest conuerti. Nam quia risibile proprium est  
 homini: si predices risibile et subicias hominem: ut  
 est omnis homo risibile est: potes iterum subicere ri  
 sibile et hominem predicare: ut si dicas omne risibile  
 homo. In illis vero simul false sunt generalium affir  
 mationum conuersiones in quibus id quod predicat  
 ad subiectum nullo tempore dici potest. ut si quis di  
 cat omnis homo lapis est falsa est. Et iterum omnis  
 lapis homo est falsa est hec. Quoniam nullo tempo  
 re neque homo lapis neque lapis homo predicabitur. in  
 particularibus negatiuis contrarium est. nam cum fal  
 se sunt: cum proprius subiectum est aut predicatum: ut si  
 quis dicat. Quidam homo risibile non est: falsum est  
 Item quoddam risibile homo non est. et hec quoque fal  
 sa est. In illis vere sunt: quando id quod affirmando  
 nullo tempore vere predicari potest ad subiectum pre  
 dicant. ut si dicas quidam homo lapis non est vera est.  
 Iterum quidam lapis homo non est vera est. Ergo  
 vniuersales affirmationes tum sibi conuertuntur. ut  
 vere sint: cum proprius predicat: tum sibi conuertuntur: ut fal  
 se sint cum id quod nullo tempore ad subiectum vere  
 dici potest predicat. Item in particularibus negatiuis:  
 tum false sunt: cum proprius predicant: tum vere: cum id  
 quod nullo tempore vere dici potest: predicant. In his er  
 go solis conuerti possunt iste. In alijs vero conuerti non  
 possunt. Atque id vniuersali non conuertuntur remanet  
 ergo in alijs rebus omnibus ut superius dictum est: non  
 conuertuntur: hoc vero perspicendum est. quod particula

# Libet

ris affirmatio que sibi ipsi conuertitur. vniuersali affirmatio que sibi non conuertitur per accidens conuertitur potest. Et item contraiacens vniuersali affirmationi particularis negatio: que sibi ipsi non conuertitur potest per accidens negationi vniuersali: que sibi ipsi conuertitur. Sed quomodo particularis affirmatio et vniuersalis negatio sibi ipsis conuertantur ostendimus. Nunc vero quomodo particularis affirmatio vniuersali affirmationi per accidens: vel quomodo particularis negatio vniuersali negationi per accidens conuertantur demonstrandum est. Dictum est superius: quod si vera est vniuersalis affirmatio: vera est et particularis: et sequeretur particularis vniuersalem. Nam si vera est omnis homo animal est: vera est et quidam homo animal est. Si enim omnis et quidam sed particularis affirmatio sibi ipsi conuertitur, conuertitur etiam vniuersali affirmationi. Nam si omnis homo animal est et quidam homo animal est. Sed ista sibi conuertitur, hoc modo si dicas: quidam homo animal est. potest igitur conuertitur ad omnis homo animal est vniuersalem affirmationem particularis affirmatio: que est quidam homo animal est: vt dicas quoddam animal homo. vtreque enim vere sunt et que dicit omnis homo animal est: et que dicit quoddam animal homo est. per accidens autem conuertitur dicitur particularis affirmatio vniuersali affirmationi: quia particularis affirmatio sibi ipsi particulariter conuertitur. Secundo vero loco vniuersali affirmationi conuertitur. Restat igitur: vt hoc monstremus. Quomodo particularis negatio que sibi non conuertitur: vniuersali negationi que sibi conuertitur: per accidens conuertatur et hec eadem ratio est. Nam quoniam vniuersalis negatio si vera est: vera est etiam particularis vniuersalis vero negatio sibi ipsi conuertitur: potest vniuersali negationi conuersa particularis conuertitur negatio. Age enim vniuersalem negationem. i. nullus homo binnibilis est: conuertamus: vt sit nullum binnibile homo. Sed istam propositionem id est vniuersalem negatiuam: que est nullus homo binnibilis est sequitur particularis negatio: quidam homo non est binnibilis. Conuertitur igitur vniuersalem: que est nullus homo binnibilis est: et fac nullum binnibile homo, conuertitur huic particularem negatiuam que est quidam homo non est binnibilis: et fac quoddam binnibile non est homo. vtreque ergo vere sunt. Nam nullum binnibile homo est que est vniuersalis conuersio negationis vera est: et quoddam binnibile non est homo: que conuersio particularis negationis est. Cur autem per accidens conuertitur dicatur: superius dictum est. Aiquet igitur talis conuersio per accidens: quod igitur habet vniuersalis affirmatio, hoc habet et contraiacens particularis negatio. vtreque enim sibi conuertitur non possunt quod autem habet vniuersalis negatio, hoc habet et contraiacens affirmatio particularis. vtreque enim sibi conuertitur possunt. Juncte ergo que sibi conuertitur possunt: et que sibi conuertitur non possunt: vt que sibi conuertitur potest iungatur ei que sibi conuertitur non potest: et que sibi conuertitur non potest: iungatur ei que sibi conuertitur potest: fecerunt per accidens conuersiones que superius demonstrate sunt. Restat vt de his conuersionibus dicamus que per contrapositionem sunt: et primus earum sit dispositio scriptio nem est que dicit: omne non animal non homo est.

Item generalis negationis que dicit: nullus homo animal est. Conuersio per contrapositionem nullum non animal non homo est. Item particularis affirmationis que dicit: quidam homo animal est. conuersio per contrapositionem est: que dicit quoddam non animal non homo est. Item particularis negationis que dicit: quidam homo animal non est conuersio per contrapositionem est quoddam non animal non homo est: quod monstrat subiecta descriptio.

Omnis homo animal est  
Nullus homo animal est  
Quidam homo animal est  
Quidam homo animal non est

Omne non animal non homo est  
Nullum non animal non homo est.  
Quoddam non animal non homo est  
Quoddam non animal non homo non est.

His ergo ita positus quomodo dictum est superius in simplici terminorum conuersione: quod particularis affirmatio: et generalis negatio sibi ipsis conuertentur. Generalis vero affirmatio: et particularis negatio sibi ipsis non conuertuntur: hic per contrapositionem conuersionibus contra est. Nam generalis affirmatio per contrapositionem conuertitur sibi ipsi et particularis negatio sibi ipsi conuertitur. Generalis vero negatio et particularis affirmatio, per contrapositionem sibi non conuertitur. Quod ita esse bis exemplis probabimus. Si enim vera sit affirmatio generalis que dicit: Omnis homo animal est vera erit eius per contrapositionem conuersio que dicit: Omne non animal non homo est. Quod enim animal non fuerit id homo non erit. Et si falsa fuerit generalis affirmatio que dicit: omne animal homo est: falsa erit etiam eius per contrapositionem conuersio que dicit: omnis non homo non animal est. potest enim fieri vt quod homo non est animal sit. Illa enim negat esse animal quod homo non fuerit. Quod si cum vera est generalis affirmatio: vera est eius per contrapositionem conuersio: et si cum falsa est generalis affirmatio falsa est eius per contrapositionem conuersio: non est dubius quin generalis affirmatio possit sibi ipsi conuertitur. Item ostendendum est: quomodo particularis negatio sibi ipsi per contrapositionem conuertitur. Nam si falsa est que dicit: quidam homo animal non est: falsa erit etiam eius per contrapositionem conuersio que dicit: quoddam non animal non homo est. Hoc enim videtur hec propositio dicere: ac si diceret quedam res que animal non est homo est. qui enim dicit non homo si est: hominem esse significat quod animal non sit. Hoc vero aperte falsum est. Omnis enim homo animal est et si vera fuerit particularis negatio, que dicit: quoddam animal homo non est: vera est eius per contrapositionem conuersio, que dicit: quidam non animal non homo non est. Equale est enim ac si diceret: res que homo non est: non est non animal. sed est animal vt equus et bos homo non est: et non est non animal. Ergo si cum particularis negatio: falsa est: falsa est etiam eius per contrapositionem conuersio: et si cum particularis negatio vera est vera est eius per contrapositionem conuersio. Non est dubium quia

q̄ particularis negatio possit per contrapositiones sibi ipsa cōverti. Nūc quoniā ostensum generalem affirmatiuā: ⁊ particularem negatiuam per cōtrapositionē posse conuerti. Ostendamus generalem negatiuam: ⁊ particularem affirmatiuam per contrapositiones sibi non posse conuerti. Et primo de generali negatione dicendum est. Nam si generalis negatio vera est: non necesse erit per contrapositionem sibi conuersam veram esse. Sed si falsa fuerit sibi per contrapositionem conuersam falsam esse necesse est. Nam si falsa est que dicit. Nullus homo animal ē falsa erit fortasse eius per cōtrapositionem conuersio: q̄ dicit: nullum non animal non homo est. Equale est. n. ac si diceret nulla res est que non sit animal: ⁊ non sit homo. quod est omnis res que animam nō habet: homo est q̄ aperte falsū est. Itē si vera fuerit generalis negatio. falsa erit eius per contrapositionem conuersio. Nam si vera est nullus homo ē lapis. falsa erit eius per contrapositionem conuersio que dicit. nullus non lapis non homo est. Equale est enim ac si dicat. nulla res est que cum non sit lapis nō homo est. quod est omnis res quecūq; lapis non fuerit homo est. q̄ falsum est. Innumerabilia enim inuenies: que nō sūt lapides: quoniam homines non sunt ergo qm̄ si generalis negatio vera vel falsa fuerit: falsa erit eius p̄ cōtrapositionem conuersio: non est dubium generalem negationem sibi non posse conuerti. quod enim in aliquo fallit generaliter colligi nō potest. Restat igitur ut id quod reliquum est monstremus particularem affirmationem per contrapositionem sibi non posse cōverti. Cum enim fuerit particularis affirmatio vera vera erit eius per contrapositionē conuersio. Nam si vera est. que dicit. quidam hō alal est: vera est ei⁹ per contrapositionem conuersio: quoddam nō animal nō homo est. Equale est enim ac si dicat quedā res: que animam non habet: homo non est: quod verum est. Lapis enim animam non habet: ⁊ tamen homo non est. Item si particularis affirmatio. Que dicit quidā lapis homo est: falsa est: vera erit eius per contrapositionem conuersio: que dicit quidam non hō nō lapis est. Equale enim est ac si diceret quedam res que homo non fuerit lapis non est: quod verum est. Equus enim hō nō est. Et tamen lapis non est ergo si cum i quibusdam particularis affirmatio vera fuerit vera erit eius per contrapositionem conuersio: ⁊ si cum in quibusdam falsa fuerit particularis affirmatio. vera erit eius per contrapositionem conuersio non est dubium particulares affirmationes per contrapositionem non posse conuerti. Generalis vero negatio ⁊ particularis affirmatio: que contraiacentes sunt: in per contrapositionem conuersionibus cōtraria patiunt. Nam in generalibus negatiuis siue generales negatiue vere fuerint siue false per contrapositionem conuersiones semper false sunt. in particularibus autem affirmatiuis: siue particularis affirmatio vera fuerit siue falsa: eius per contrapositionem conuersio vera est. Repetendum est igitur a superioribus ⁊ confirmandum q̄ in simplicibus terminorum conuersionibus particularis affirmatio: ⁊ generalis negatio sibi conuerti possunt. Generalis vero affirmatio ⁊ particularis negatio sibi conuerti non possunt. in his vero conuersionibus: que per contrapositionem sunt contra est. Nam generalis affirmatio ⁊ particularis affirmatio per contrapositionem sibi ipsis cōverti possunt. Generalis vero negatio: ⁊ particularis affirmatio p

contrapositionem sibi ipsis conuerti non possunt. Et generalis negatio ⁊ particularis affirmatio: que sunt contraiacentes in veri falsiq; distantia (vt demonstratum est) sibi ipsis inuicem contraria patiuntur hec de categoricorum syllogismorum categoricis propositionibus dicta sufficiant. Si qua vero bis pretermissa sunt in periermenias. Aristotelis commentario diligentius subtiliusq; tractata sunt.

## De syllogismo categorico. Liber Secundus



Superioris series voluminis quod ad categoricorum syllogismorum propositiones attinebat explicuit. Nunc autē quantum introductionis patitur temperamentum de ipsa categoricorum syllogismorum ratione tractabitur. ⁊ quoniam omnium compositorum firmitudo vel vitium: aut in his maxime reperitur ex quibus est compositum: aut penes bonam malam compositionē eius laus vituperatioq; tenetur. Namq; dom⁹ si sit fortis aut debilis. Porro autem si artificis compositionem equabilem solertemq; fuerit nacta: ipsa quoq; constructio merito stabilis erit: ⁊ laudabile fundamentus. Si vero insolentior cōpositio fiat: tota quoq; quāuis ex bonis ordinata lapidibus: nulla sese gerens fabrica stabilitate nutabit. Nos quoq; hanc eandē imaginem secuti prius de his quibus ipse syllogismus cōstat id est propositionibus explicuimus. Nunc de ipsa inter se syllogismorum coniunctione oppositioeq; tractabimus. Illud vero meminisse debebis introducendis hic me prestitisse inchoantibus non introductis. Et primum quid sit esse in omni vel non esse paucis ostendam. Si qua enim res alterius generis fuerit: omnem intra se speciem continebit: ⁊ in toto species genere illa esse dicetur. Sit enim genus animal. homo vero species. homo ergo quoniā minus ē quā animal: in toto animali esse dicitur. Omnis enim homo animal est: Si quis ergo sic dicat aliquam rem de aliqua re predicari. conuersa vice nihil interest. Nam si cut in toto animali homo est: sic etiam animal de homine predicatur. in toto vero non esse est. quotiens alia res ab alia re omni disuncta est. vt si dicas animal in nullo lapide est. nullus enim lapis animal est: ⁊ si dicas animal de nullo lapide predicat. de nullo. n. lapide animal dicitur. Diffinimus ergo. in toto eē vel in toto nō eē sic in toto esse: vel de toto p̄dicari dicitur quotiens non potest inueniri aliquid subiecti: ad q̄ illud q̄ predicatur dici non possit. Nam nihil hominis inuenitur: ad quod animal dici non possit. In toto vero non esse: vel de nullo predicari dicitur: quotiens nihil subiecti poterit inueniri ad q̄ illud quod predicatur dici possit. Nihil enim lapidis inueniri potest: de possit animal predicari. Illud sane notandum est q̄ esse in toto versa vice dicitur. Nam si aliquid de aliquo omni predicatur: illud de quo illud predicatur in toto illo esse dicitur quod predicatur: vt animal de omni homine dicitur. Homo non in toto est animali velut quedā pars intra totum animal latet. si quid in alio omni fuerit: in eo toto illa res de qua superius dicebatur eē dī: vt idē alal cū i oī sit homine: ⁊ de eo omni predicetur. Homo est in toto animali. His igitur positis quotiescūq; ita dicim⁹: vt litteras pro terminis disponam⁹: pro breuitate hoc. ⁊ pro cōpēdio facim⁹: id q̄ per litteras demonstrare volum⁹ vniuersaliter de monstram⁹. Nā fortasse i terminis aliquib⁹ falsum in